



182

W.  
Z.

*Mpo. XIX*

*A-26*

I



*222811/5*

192

# DOMINI BE-

NEDICTI MANDINAE EPI-  
SCOPI CASERTANI CONGR-  
egationis Clericorum Regularium Nuntij Apo-  
stolici ad Regem, Senatūq; Polonum de  
foedere cum Christianis contra Turcam  
paciscendo, recitata in Comitijs  
Varsaviae die XXX. Martij

1596.

ORATIO.



IMPRESSA NISSÆ, PER  
ANDREAM REINHECKEL.

ANNO M. D. XCVI.





222816/1

MISSA ESTATE PER  
ANNO 1871  
KINGDOM OF ITALY



*Q*UAM vehementer (Sacra Regia Ma-  
iestas, Illustrissimi Proceres, Senatus am-  
plissime, ceteriq; Incltyti, potentissimi Re-  
gni huius, nobilissimi Ordines) Sanctissi-  
mus Dominus Noster in Regem, Senatum, populumq;  
Polonum animatus est, ego extremis hodie lineis,  
si possem inumbrare, putarem certè me satis momenti  
allaturum vel ad suadendum, fœdus, cum Christia-  
nis, vel ad persuadendum bellum contra Turcas, si  
nudè tantum unoq; verbo dicerem, me ex extrema  
vsq; Italia à Clemente octauo Pontifice Opt: Max:  
missum ad vos huius rei causa, & ablegatum fuisse.  
Nam beneuolentia, pietatisq; qua Summus Pontifex  
summa Poloniam prosequitur, & semper persecutus  
est, lineas primas qui videt consideratq; cum animo  
suo hunc affectum exire ex illa prouidentia, qua Deus  
tanquàm anima Ecclesia sua corpus vegetat, & per-  
petuò informat: recto is rationis filo ducetur eò, ut sta-  
tuat & quasi certum è cœlo defigat, hanc nec pietatem  
velle, nec prouidentiam posse quoquo modo fallere, &  
in fraudem pellicere: verum cum lachryma, qua Cle-  
menti octauo pro Polonorum salute saepe fluunt, & co-  
gitationes qua pro Polonia ipsa perpetua, & ne nocti-



*bus quidem intereisa, excubant, tantam spirent in  
hoc regnum pietatem, quanta nullo verbi colore tenui-  
tèr quidem effingi poterit: video mihi à re ipsa impo-  
situm iri necessitatem dicendi hodie apud vos, si pro  
Christianorum fœdere aliquantò operosius, certè con-  
tra Turcicam perfidiam multò liberius. Et si ego ab  
omnibus naturæ artisq; subsidijs imparatus, indignus  
omninò sim qui Apostolici ad vos aut Legati nomine  
censear: tamen cum dicturus sim nomine Pontificis,  
qui vos tenerius amat quàm pater filios, & dicturus  
sim Christum, cum fortunis vestris & libertatibus  
penitus implicatum, spero me à vestra omnium equi-  
tate impetraturum, ut ad orationem meam, faciles  
hodie aures, sitientesq; asseratis. Quare nec veteri*

2. ad Cor.  
cap. 5.

*Rhetorum more rogabo ut attendatis, Pontifex e-  
nim à quo missus, & Christus cuius causa missus sum,  
hoc à vobis quodā iure exigunt: nec deprecabor, quòd  
orationem assero nullo aut flore sparsam, aut artis gem-  
ma intermixtam, profiteor enim me dicturum hodie  
Christum, ut nudum, sic sine exquisita artis aucupio  
nudè.*

*Cum omnibus (Serenissime Rex) qui Christum  
profitentur, & vivunt, pax præcipuè curæ esse debeat,  
tùm Pontifici maxime, qui Christiani orbis cor & ca-  
put,*

put, quam Christus praeiit illi viam orbis regendi, re-  
 eteq; conformandi, eam insistere debet, & solet. Chri-  
 sto autem pacem in primis cordi fuisse, loquitur primò  
 eius vita, quae tota erat, praesepe, stabulum, colaphus,  
 sputum, crux, ut uno verbo dicam tolerantia, &  
 pax: cum contra qui aliorum Imperiorum rationes  
 fundarunt & constituerunt, principium semper do-  
 xerint, Romulus à cada, Virginius à seditione, Phi-  
 lippus à fraude, Caesar à bello, ab alijs furoribus alijs.  
 Hac res si non esset tam perspicue vera, quam Chris-  
 stum esse in pace natum, in tumultu mortuum, ex eo  
 tamen uno liquido vinceretur, quòd Euangelij vox  
 audita est in terris prima: Pax hominibus bona vo-  
 luntatis: & ultima audietur tuba cum Dominus ad Luc. cap. 2.  
 iudicandum venerit: quasi esset ut Iudicis, ab huius Matth. 24.  
 mundi tribunali egredi more leonis, & pugnantis: sic 1. Cor. ca.  
 Servatoris in hoc mundi theatrum ingredi specie ovis 15.  
 & patientis. Hanc pacis doctrinam ex Christo de-  
 libatam & haustam: cum Pontifex & ipse fateatur,  
 & alios doceat: mirabuntur fortasse aliqui, vel non  
 satis illi sani, vel in re Ecclesiastica hospites valde &  
 peregrini: quid causa possit esse Pontifici, qui se prosi-  
 tetur pacis doctorem, conuerso quasi Euangelij orbe,  
 Palonis facem ad bellum praferat & tumultum. Et



iuste quidem hi mirarentur, si qua dicitur pax Tur-  
cica bellum non esset, omnium qua post natos homines  
gesta sunt odio immanissimum, re maximum, even-  
tu periculosissimum: Odium quid exaggero? Turcicum  
est, & contra Christum ipsum: Rem quid narro?  
Tyrannis est, quantam infernus poterit excogitare  
maxima: Euentum quid exprimo? Ungariam vi-  
detis felicem forsitan, sed maximo certe Christiano-  
rum malo felicem: qua si aurum proferat, Turcis  
profert ad gazam: si as, Turcis ad arma: si foeminas,  
Turcis ad libidinem: si viros, Turcis ad seruitutem:  
& (quod seruitute peius est) omnia Mahometi ad  
obsequia: Omiseram Ungariam, & hoc solum nomi-  
ne miseram, quod paci Turcica credidisti. Quare  
è specula Pontifex cum videret pacis nomine in spe-  
ciem quidem pulchro, sed ad exitium insidioso quasi  
vestigio quodam irrepere in alias Christianorum par-  
tes, & quas non potest armis subiugum mittere, eas  
arte, aliam supra aliam occupare: statuit se ut Pa-  
trem & Pastorem omnium debere inter hanc vulpecu-  
lam (qua Christi vineam demolitur) & Christiano-  
rum (grande crimen molli notabo nomine) simplicita-  
tem, suam iam tandem providentiam interponere. Hor-  
tatur ergo vos (Equites Poloni) Summus Pastor omni  
Chri-



Christi non ad tumultus mentis, quasi Euripi imma-  
nes & insanos fluctus, sed ad pacem veram illam &  
firmam, qua duabus tantum rationibus comparatur,  
sciendo fœdere cum Christianis, & acinace acuendo  
contra Turcas. Quod si forte adsit qui neget ullum  
bellum suscipiendum ijs, qui Christiano nomine cen-  
sentur, na, is toto errat calo: cum aternus illerum  
conditor à militia cognomen Dei Sabaoth, id est, exer-  
cituum hauserit, & in medio cœlo viderit ac probarit  
bellum illud mentium beatarum cum Spiritibus apo-  
staticis, qui quod monumentum & solium superbia  
sua non potuerunt erigere in cœlo contra Patrem: id  
iam per Turcas conantur in terris excitare contra  
Christum. Tenet quidem vos pace Turca, sed pace,  
qua est bellum: Inuitat vos Pontifex ad bellum, sed  
bellum quod erit pax, & pax, qua non Turcica per-  
fidia leuitate, tanquam pluma, sed firmissimis vestri  
acinacis & lacertiradicibus perpetuò nitetur. Non  
sum iam exquisitè rigideq; Christianus, ut fœ-  
dus non feram cum Turca, quod necessitate extrema  
impositum non potuit aut arte eludi, aut commodè de-  
clinari: nec quidem tam lentè, frigideq; Christianus  
sum, ut fœdus cum omni infideli tanquam iocum ac  
ludum probem & admittam: Nam cum fœdus ipsum  
profitea-

Isa: 6.  
Hier. 2.  
Apoc: 12.

profiteatur quandam communionem amoris & vo-  
 luntatis in eos cum quibus colitur societas, & odij, vel  
 certè non amoris in eos qui hoc fœdere non compra-  
 henduntur, velintq; omnes qui Mahumetana frau-  
 de deuincti & obstricti sunt, Christum, Christianumq;  
 nomen penitus & à stirpe interire; cum hac peste lucq;  
 hominum qui in societatem fœderis veniunt, eiusdem  
 voluntatis societate videntur teneri, quo crimine nul-  
 lum potest à nobis concipi vel admitti, vel labe tetrius,  
 vel in calum contumeliosius. Id quod David Rex  
 oculo non sensus obscuro, sed puro illo clarq; Prophe-  
 tia; quia vidit, profitetur ille apertas & perpetuas  
 cum hoste Dei inimicitias, istudq; cecinit posteris, non  
 tam ad auris titillationem, quàm ad mentis nostrae in-  
 stitutionem, illis verbis: Nonne qui te oderunt Do-  
 mine oderam? & super inimicos tuos tabescebam?  
 Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.  
 Odium hoc Davidis in hostes Dei tam vehemens er-  
 rat, si affectum: tam penitus insitum, si modum spectes,  
 ut putarit sanctus Zeli Caliq; plenus, se complicatam  
 mentis suae notionem non satis distinctè expressisse, nisi  
 illud suum odium non solum interrogationis amentar-  
 ta quasi hasta, sed alio modo variè explicaret. Oderam,  
 inquit, illos, tantumne? odio oderam: quo? vehemen-  
 ti illo



ti illo & perfectosità ut odio hoc tanquam Zelo imple-  
 citus totus intabuerim. Nos qui tantum latinis li-  
 teris tincti sumus, quid sibi velit hic dicendi modus,  
 non satis capimus; at in sancta lingua, hac interro-  
 gandi forma & eiusdem rei inculcatio, tantam vim  
 habet, ut vatinianum illud odium, quod Ciceronis a-  
 tas nobilitauit, & Turcicum, quod nostra, præ hoc  
 Davidis in hostes sic expresso, molle videatur aut pror-  
 sus nullum. Si David qui scintillam tantum Dei ex  
 legis nube obscure emicantem viderat, inimicitias ca-  
 pitales cum inimicis Dei aperte profiteri verbo exem-  
 ploque docuerit; Nos certe quibus Christus aperuit  
 quicquid habuit lex enigmatis, aut Evangelium gra-  
 tia, & veritatis; si amicitiam vel fœdus cum filiis  
 Belial copulauerimus, admitteremus profecto crimen,  
 cui vindicando vix tres Inferni videbuntur fore satis.  
 Tertullianus eorum qui de re Ecclesiastica latine scri-  
 pserunt primus & (si affectus eum ad privati cerebri  
 scopulum transuersim non abripuisset) certe doctissi-  
 mus: monet Christianos omnes se profiteri in Bapti-  
 smo pugiles & palastritas aduersus hostes qui Chri-  
 stum eiusque membra vel aperte petunt, vel insidiarum  
 cuniculis occulte tentant, ac ne putetis hoc verbum  
 flocci esse, aut nihili, causa hac est, cur ut pugiles an-

Tertull.  
 de Corona  
 militis.



tè luctam , sic Christiani ad perpetuam cum Christi  
hoste pugnam , oleo in Baptismate , veteri constantiq;  
Cereemonia , unguuntur semper & illiniuntur. Chri-  
ste, in quas tandem angustias conditus es? professio tui  
nominis laudatur & obteritur , & sacri illi mores qui  
instituti erant ad disciplinam , exierunt in Ceremo-  
niam tanquàm bullam , aut si quid bulla possit fingi  
vanidius aut contemptius. Nam in hac re si quid  
habet antiquitas fundamenti , aut mos iste momenti,  
nihil est à professione Christianorum tam alienum,  
quàm non dico inimicitias non suscipere, sed fœdus ice-  
re cum hoste illo qui profitetur se cogitare, facere, vivere  
& regnare hoc solum nomine , ut quicquid est Chri-  
stiani nominis ex orbe stirpitus euellat. Frustra for-  
tè videar cuiquam ex natura rei , ex antiquitate , ex  
professione collegisse , cum Deus in ipsis iactis mundi  
Ecclesiaq; fundamentis , illam legem diserte fixerit,  
recta , puraq; Adami posteritati, ut inimicitias per-  
petuas habeat cum face infernali, qua callidi serpen-  
tis sibi libentè audit, & venenum tanquàm mel  
avidissimè semper haurit. Ponam ( inquit Deus ser-  
penti ) inimicitias inter te & mulierem, inter semen  
tuum & semen illius: mulierem, siue ad normam litera  
Euam aut ipsam quoq; Deiparam, siue ad Spiritus ra-  
tionem

Gen. 3.

tionem cum Ambrosio intelligamus Ecclesiam, inter  
mulheris semen & semen Sathana odium est, ut inte-  
stinum, ita Dei praescriptione tam altè insculptum ut  
qui contra hanc legem commiserunt, quemadmodum  
ex quo semine fluxerunt, factis modo ostenderint, sic  
pœnam factis dignam è cœlo exquisitissimam semper  
subierint. Interdixit Deus Israëlitis non amicitia Iudic. 2.  
tantum, sed commercio gentium & Philystæorum.  
Bonus certè Deus, qui prius monet, quàm perdit; sed  
quàm est bonus quòd monet, tam seuerus dum perdit.  
Primum minatur Israëlitis nè iungant fœdus cum  
gentibus, iungunt tamen, qua pœna? quòd minatus  
est Deus facti sunt illis Philystei fouea in quâ cadunt,  
laqueus quo implicati tenentur, festuca & offensio qua  
oculi illis corrumpuntur, quid tandem? tandem Israël-  
lita terra, quam Deus illis impertiuuit optimam, usura  
priuantur, & quæ fuerunt contra Deum superba,  
sunt demùm vilia capita. Placuit (inquit Deus)  
vobis habere inimicos meos pro amicis, ego faciam ut  
sitis illis serui & mancipia. Si istud inde ex Israëlita  
gente nimis altè repetitum quisquam fortè censeat, nō  
id factum quòd desint domestica & recentia exempla,  
sed quòd Tragicam Christianorum vel culpam hoc  
in genere, vel pœnam, sine ingenti & mentis dolore &

B 2

vocis



vocis questu, in hunc vestrum confessum tanquàm in  
theatrum non potuerim inducere. Inducentur ta-  
men & quia videmini hoc velle, & quia mala qua  
propiora sunt, propius quidem urgeant ac moueant ve-  
hementius. Trapezuntini Principes, quòd Paulum  
noluerunt audire monentem: Nolite iugum ducere cū  
infidelibus, meruerunt infidelium subire iugum. Pa-  
leologis tanta erat potentia, ut eorum nec fama termi-  
num, nec gazæ inueniret modum, quòd pacti sunt a-  
micitiā cum Turca, ac contra Dei vocem putarint  
posse esse (verbis sacris utar libenter) participationem  
iustitiæ cum iniquitate, societatem lucis cum tenebris,  
ac conuentionem Christi cum Belial, ab Europa prin-  
cipibus, quos antea contempserant, inuānum opem  
acclamantes, ita abierunt in puluerem, ut oriens il-  
lorum Imperium cesserit praeda Turcis, & ipsi post se  
hoc tantum reliquerint fama, aut potius infamiae, quod  
Constantinopolis, qua nihil habet Orbis post Romam  
maius, qua fuit Paleologorum, horum scelere Christo  
perijt & Cælo. Ungaros non dico (hos ipsi superiori  
anno audistis Craconia suam miseriam sero deploran-  
tes, & vestram opem frustra implorantes) ipsi, ipsi  
illis vestris auribus audistis eos exclamantes: heu,  
heu, miseros nos quod credidimus Turca, & falso  
faderis



*fæderis nomine nostros posteros passi sumus perpetua  
 seruitute irretiri. Sed Phryges, id est, serò sapuerunt.  
 Dicit fortè quispiam eos hac seruitute dependisse Deo  
 pœnas Schismatis quòd contra Petri Sedem nefariè fe-  
 cerunt, & ego certè non valde abnuerim: tamen sic  
 intelligi velim quasi seruitus qua isti induti sunt, tan-  
 quàm catenula ex quatuor istis annulis, delicijs, pec-  
 cato, schismate, & fædere Turcico, sic contexta fuerit,  
 ut viam munierint delicia ad peccatum, peccatum ad  
 Schisma, Schisma ad fædus Turcicum, fædus tandem  
 Turcicum ad seruitutem, quantam nullæ hætenus li-  
 teræ Græcæ illæ, aut Latine expresserint, grauiorem.  
 Rem & si putem certissimam, tamen facile patiar ut  
 non credatis nisi pœnam quantam sol viderit grauis-  
 simam ex media nostra ætate attulero, Turcico tan-  
 tum fædere irrogatam. Franciscus Galliarum Rex:  
 quantum nomen erat? impleuerat terram sua gloria,  
 & certè sua religionis ardore calum: sic potens ut cum  
 potentissimo orbis, certaret de orbe, & una veraq;  
 cura sic complexus vniuersos suos, ut lis fuerit in Gal-  
 lia, debeat nè illi magis Mars, an Musa: Nobilitas  
 an Plebs, Miles an Mercator. Accessit ad hanc gloriam  
 quod nomen suum ierat in Nepotem tam pulchrum,  
 tam numerosum, ut gens Valesia ijsdem quibus mun-  
 dus*

duſ terminis exiſtimaretur circumſcribenda. Tanta gloria, tanta potentia, tanta religionis Rex, videretur perueniſſe in partem illius ſœlicitatis, qua beata illa mentes puriſſima circumfluunt. Et perpetua, niſi moriens exclamaſſet, Perij, heu perij, quod volui eſſe ſœderatus ei qui eſt hoſtis Chriſti. Cardinali Guiſio ſubijcienti miſericordiam, pœnitentiam, conſolationem ex ſacris literis benè multum: omnis inquit, miſericordia mihi clauſa eſt, Et nulla pœnitentia mihi ſatis eſt, qui ut æmuli mei vel gloriam inſuſcarem, vel vindicarem iniuriam, ſœdus pepigi cum Turca, Et Chriſtianorum capita tanquàm armenta ad Mahumetanam ſeruitutem viuus, vidensq; paſſus ſum abigi. Ea ſum charitate in mortuos, ut facile credam has voces eſſe extremè potiùs dolentis, quàm deſperantis: id tamen negari non poteſt, Franciſcum pœna viuum, mortuumq; mulctatum eſſe quanta interris excogitari poteſt maxima: Nam extra bellum, quod ipſe cum ſua conſcientia geſſit perpetuum: extra bellum quod ipſius Galliam maximum ſemper poſtea exercuit, Et in cinerem penè comminuit: Henricus filius interijt à manu hoſtis, qui ſe finxit amicum, Et in publico ſpectaculo factus eſt orbi ſpectaculum, Et  
vobis



vobis (Equites Poloni) exemplum. Leue istud posset  
videri quod uiuat adhuc ille in plurimo nepote. Ve-  
rùm nepotulos, qui tanquam semen in consequentem  
omnem etatem serendi videbantur & propagandi,  
dolor, bellum, venenum, cultellus, ita breui absum-  
psit omnes, ut una eademq; etas Valesiam gentem  
viderit & summam, & propter fœdus Turcicum  
nullam. Iagellonia virtus & religio, et si in te (Si-  
gismunde Rex) iam uiuant, & in posteris tuis (quan-  
tum speramus, & à Deo precamur) perpetuam, fœ-  
licissimamq; videantur habitura vitam. Iagellonium  
tamen nomen cur perijt orbi? cur Polonia? Nolo, E-  
quites fortissimi, alias vestras prosapias penitus dele-  
tas recensere, nec earum quæ florent memoria sequu-  
tura, minari aut ominari: id tamen pro meo in vos  
amore, non possum non monere uniuersos, ut quorum  
perhorrescitis exitium, horum nullo modo imitemini  
exemplum. Video (Serenissime Rex) non tantum  
oratione contendisse, sed vicisse ratione Turcicum  
fœdus cum natura, cum professione Christiana, cum  
Euangelio penitus pugnare, arma pro Christianis  
contra communem hostem sumenda vobis esse, nisi a-  
que clarum effecero, facile patiar ut quicquam po-  
tius cogitetis aut faciatis, quàm quod ego arbitror, &  
Chri-



Christiano orbi tam utile ; & Reipublica ( amplissi-  
mi ordines ) vestra penè necessarium. Attulerunt  
ex hoc loco diuersi diuersa , quibus mentes vestras o-  
tio languentes , & quasi somno sopitas exuscitare vel-  
lent videri : verum nihil horum à me attingetur ho-  
die ; ut qui cognoscam eam magnanimitatem Polo-  
nis à natura inditam esse , ut in rebus magnis non pos-  
sint languere , illudq; esse , semperq; fuisse studium pu-  
blicæ rei , ut eorum animis deberet potius sedandis ad-  
fundi aqua ; quàm incendendis facula aut leuis ali-  
qua materies subdi ac subministrari. Quare in  
huius partis primam quasi aciem non inferam vos  
pugnaturos contra utilitatem Turcicam & Asia-  
nam natam seruire , nec subijciam , hanc vilitatem ni-  
hil in rebus timere magis , quàm vestrorum vel aci-  
nacum fulgores , vel lacertorum robora ; neq; dicam  
Prætoriani militis ( quo inprimis Turca nititur ) flo-  
rem vanuisse vel viluisse , deniq; reliquam vim ita  
concisam esse , ut quos contempserit hætenus Tarta-  
ros tanquam pecudes , eorum gratiam legationibus  
iam ambiat , & donatiuis ; neq; exaggerabo Turcarū  
illud iudicium , Othomanicam Tyrannidem , Quarti-  
decimi Monarcha Imperio desinentium , neq; alias  
prædictiones , tanquam tragœdiæ cuiusdam interlu-  
dia in-

dia inſpergam orationi mea : nam veſtra doctrina,  
veſtra experientia : veſtra iudicia non ſinunt ut ali-  
quid aut colligam minutum , aut leue corradam &  
alienum. Id tantum dixero , & vobis inſigniter  
Chriſtianis ſat ſcio, perſuaſero, nihil à Chriſtiana cha-  
ritate abeſſe longius , quàm otioſè ſpectare populatum  
quem agri, depeculatum quem templa, labem quam  
fœmina, ſervitutem quam veſtri non dico vicini, ſed  
fratres in Chriſto & ſorores à Turcica rabie iam ſu-  
beunt, & indies magis videntur ſubituri. Poſſunt in  
aliena calamitate qui torpent, aut delicias verius a-  
gunt, videri homines ( quòd humana illi ſpecie indu-  
ti ſint ) ſed homines verè non ſunt, nedùm Chriſtianis  
qui humanitatem pietatemq̃, ( qua homo hominem  
natura inſtructione complecti debet ) totam videntur  
exuiſſe. Quemadmodum Chirurghi quod membrum  
in languido corpore acu tentarunt, aut ſcalpello, ſi nul-  
lum aduertunt motum vel ſenſum , illud mox iudi-  
cant intabuſſe, nec ullam melioris vitæ vim in ſe con-  
tinere : ſic in hoc Myſtico Chriſtianoq̃ corpore, qui  
ſuorum vel fortunas auerſas, vel labefactatam Remp.  
vel aliam calamitatem immiſſam neglectim & ſine  
quodam pietatis ſenſu intuentur, eos ego certè ( ſi quid  
in Politicis aut Chriſtianis rebus video ) iudicarim

C

aut



1. Ioan. 4.

Genes. 4

Proue. 24.

aut non membra, aut membra, quæ publicæ curæ & Christi parum in se vel nihil omnino habeant. Nam Dei amor amorî proximi ita perpetuò annexus est, & veluti implicatus, ut Ioannes Apostolus neruôsè collegerit, Qui super angustias fratris quem videt viscera misericordiæ suæ clauserit, eum vera vniuersæ charitate Deum, qui ab aspectu penitus obliuiscit, vix, ac nē vix quidem posse diligere. Ac ne quis contra hanc rationis aut naturæ vim audeat unquam usurpare illud Caini, se Ungari Germaniq̃, id est, fratris sui custodem non esse, & sacra littera hanc vocem damnarunt impietatis, & Deus prius per Salomonem monuit: Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare nē cesses, & disertè tandem mandatum tanquàm legem unicuiq̃ posuit de proximo suo. Hæc quidem ipsa etsi in se sint, & luce tam clara, & momento tam firma, ut vos (Equites fortissimi) cū in publici boni curam sponte euntes, tum insigni pietatis studio semper inflammatos ad vicinos vindicandos asseruandosq̃ alia ratione nec velim, nec debeam vehementius hortari: tamen Ungari regione vicini, religione fratres, ita sunt faucibus pressi, ita momento & vestigio temporis pressi, ut auribus oculisq̃ vestris, vastitatem suam, labem suam, seruitutem



tutem suam, reliquam miseriam suam iterum subi-  
ciant rogentq<sup>3</sup>, patiamini vos contra communem ho-  
stem videri, potius Sagatos in campis, quam Toga-  
tos in conuentibus, & qui in eorum calamitate sem-  
per haectenus fuistis, etiam nunc ostendatis vos verè  
Polonos. Etsi Equitis nomen, quod in Polonos insi-  
gnite semper conuenit, summam in se gloriam habeats  
tamen cum Polonus Equitis potius nomen, quam no-  
men hoc ornet Polonum, aliam vocem quemadmo-  
dum non possum inuenire gloriosorem, sic ad studia  
vestra in vicinos elicienda non debui adhibere vehe-  
mentio rem. Nam si Polonos vos ostenderitis, vici-  
stis vim, asseruastis innocentiam, id est, ipsi vos cu-  
mulatis gloria quam vix capiat tota terra, ac aeterna  
illa regio, quæ quot stellis, tot Dei ocellis fulget, sola po-  
test remunerare. Neq<sup>3</sup> vos voco ad bellum tanquam  
pradam, aut solos contra totam Asiam Africaq<sup>3</sup> vim  
sed hortor ut vires vestras cum viribus fratrum ve-  
strorum iungatis contra communem hostem illum, qui  
horum vires labefactat, & vestras non minus certè  
quàm apertè frangit. Ecce tempus acceptabile (in  
re Christi sic loquar) ecce dies salutis. Nam si positis si-  
multatibus & contentiunculis, quæ à Sathana disper-  
sa & disseminata vos à vobis alijsq<sup>3</sup> Christianorum

C 2

parti-

partibus diuellunt, arma socia iunxeritis, & vincu-  
 lo fœderis, aut, ut Christianus dicam, charitatis col-  
 ligati vniuersi Turcica Tyrannidis neruum elidere  
 conemini: ausim vobis promittere victoriam, qua ve-  
 strum vestraq; gentis nomen Romanorum gloria &  
 nomine facile aquauerit. Quippe fœderi, aut qua  
 formam charitatis habet societati cuiusq; vis à celo  
 tanta & tam copiosa inserta est, ut duobus aut tribus  
 promiserit Deus simul petentibus, largè omnia: quid  
 facientibus simul? alter fulcietur ab altero: quid simul  
 pugnantibus? si hostis prauauerit contra vnum, duo  
 resistent ei, & vnus prosequetur mille, & duo fuga-  
 bunt decem millia. Si quis fortè dicat pacis vos pactis  
 impediri, quò minus in societatem bellicum Christia-  
 nis contra Turcam veniatis, propè est ut exclamem:  
 O vilitatem dignam seruitute, quid? hisce auribus,  
 hisce iudicijs vox ista inculcabitur, pax, pax ista insi-  
 diosa: pax peior bello: Pax cum Turca? Oblatam di-  
 ces non pransatam: sed quò est velata pulchrius, eò  
 plus illa alea habebit & periculi. Turcicus Tyran-  
 nus (Serenissime Rex) in eodem Philippi Macedonis  
 ludo videtur doctus ad malitiam, & ex hac malitia  
 potius quàm militia disciplina effloruisse tandem ad  
 hanc potentiam, quam Asia, Africa, & Europa pars  
 bene

Matth. 18.

Ecclef. 4.

Deut. 23.



benè bona vix, ac ne vix terminavit. Nam quem  
admodum Philippus pacis nomine Anthipolitas im-  
plicatos tenet, quoad Pidnam occupavit & Polydiam  
Sferanos complectitur beneficijs, quoad Pegasam &  
Magnissam subiungit: Athenienses omni officio co-  
lit, quoad Olynthios redegerit in potestatem & tan-  
dem totam Graciam sui iuris fecerit: sic Turca Chri-  
stianos unum super alium irretit potiùs laqueo fœ-  
deris & pacis, quàm brachio & belli vi mittit sub iu-  
gum. Trapezuntinum nexuit fœdere, quid inde?  
Constantinopolis sola facta est prada: Mathely-  
nos iunxit sibi pacis nomine, quid inde? seiun-  
cti ab hac communione. Negropontini eius mox  
bellum subierunt & servitutem, Thessalonica, Sco-  
dra, Dirrha, Chio, sunt prada non Turcici belli, sed  
fœderis. Naupactus, Cyprus, Valachia sunt spolia  
Turcica non virtutis, sed perfidia. In re tristissima  
non debeo esse minutus: Meministis vel certe legistis  
omnes, Europa non toti unquam iustum bellum indi-  
ctum, sed pacis simulatione partem præceptam parti,  
quoad Imperium suum Tyrannus ad regni vestri po-  
meria usq; protulerit & propagavit. Et certe in hac  
Pomeria qui non audet irrumpere, sperat tamen pa-  
cis quodam pede aliquando irreperere. Ungaros tan-

rum iam laceſſit : vobis (Poloni Equites) amicus ſci-  
licet & ſæderatus, at quos Vngaros? pacis religione  
ſanctius Tyranno antè quàm vos iam deuinctos, ſi  
Vngari uniuerſi ſubierint iugum, pax, heu pax, fa-  
talis ad exitium proximè iugulans Poloniam. Vi-  
deor videre Turcici Tyranni imaginem & expreſ-  
ſionem veram pulchrè effictam in Golia, qui tanta  
vaſtitate corporis quanta ſatis erat ſancti exercitus  
impreſſioni ſuſtentanda, tamen non totum exercitum  
totis ſuis ſuorumq; viribus aggreditur rectè, ſed ſingu-  
los ſcilicet minutiorum futuros virium, ac ne duos  
quidem ſimul ad ſingulare prolicit certamen: ſic Tur-  
ca, tam monſtrum capitis, quàm Golia corporis, Chri-  
ſtianos non omnes belli ſocietate coniunctos fortiter pe-  
tit, ſed ſingulos ſeparatim, hunc mulcet diùm illum  
perdit. Veſtra (Equites) partes ut nunc ſunt mulce-  
ri, poſt Vngaros erunt pati, & niſi animum aduer-  
teritis perdi. Quod quidam ominati ſunt Turcam ſibi  
munire per Austriam & Carinthiam ad Italiam adi-  
tum, etſi aliquid habet probabilitatis, id tamen ego pu-  
tarem potiùs delirium, quàm militiæ miſteriũ. Inſignis  
enim ſtupor eſſet, & præter morem Turcicum, hoſte  
poſt ſe relicto aggredi Italiam, & Italiam ſeptam hinc  
à mari, indè à monte, undiq; à milite; Cùm Poloniam  
in qua



in qua momentum Italici belli futurum illi videtur in-  
cursioni, flamma cineri patentem post finitimas regio-  
nes deuictas, solam puncto posset in potestatem redi-  
gere. In Trapezuntino Imperio occupando quod fecit  
Tyrannus ut vicinas partes potestatis suae flamma om-  
nes inuolueret, ac Trapezuntium extremam tantum  
lamberet, quoad mediam & solam coeperit: sic vici-  
niam undique vestram dum fœda depopulatione fune-  
stat, vestram regionem tanquam simbriam Tyrannidis  
suae flamma extremam tantum lambit: at si hoc anno  
Vngaria & Transylvania: altero Silesia & Moravia  
augeant Tyranno Imperium: vos (Equites) medijs, &  
vestra culpa soli ut noui Trapezuntini capti estis (hor-  
rescere ferens) capti & perpetua seruitutis nexu adstri-  
cti, imò mactati potius & trucidati vniuersi. Nam  
Libertas, Immunitas, Respubl. Nobilitas, nomina  
Tyranno sunt tam odiosa, ut qui hæc insignia præ se tu-  
lerint, eorum ne vestigium quidem in suo Imperio leui-  
tè impressum esse sinat. Quare quod Demosthenes in  
bello Philippi contra Olynthios hortatur suos Athenienses,  
ut bellum gerant cum Philippo Olynthia, nisi mal-  
lent Philippum Athenis: Id ego vos moneo Poloni, ut  
contra communem hostem, sicut in eius Vngaria, vel  
alia ditione alibi distringatis, nisi sicut & lanceas non  
multò post domi vestra pleno pectore velitis haurire.

*Sigismundus Secundus in tali fortè occasione erat ter-  
 giuersator, & quod tergiuersator erat, famam apud  
 posteros consecutus est, quam à tuo, Sigismunde Rex,  
 cognomine, qui tua causa cupimus, syncerè depreca-  
 mur; quanquam talis certè occasio nunquam erat.  
 Nam neq; Polonia unquam fuit tam propè pressa, nec  
 ad communem flammam extinguendam auxilij, con-  
 siliq; aquas uniuersi tam seriò attulerunt; nunc verò  
 non Vngaria solum & Germania pro se supplices ve-  
 stris genibus aduoluuntur sed Principes Itali præferunt  
 spem, & Caesar opem operamq; prolixè pollicetur. Quod  
 sapè optastis, Equites, ut alijs fœderis societate inter se  
 sanctè constricti vobiscum castra contra Turcam me-  
 tentur, id iam è cælo oblatum non debetis respuere, ne  
 si rogati non afferatis auxilium, pressi fortè auxilium  
 rogantes non inueniatis. Deus aquisime, ut omnia,  
 videtur illam legem tulisse, ut qui obturat aures suas  
 clamori proximi sui, clamans non audiat; & men-  
 suram qua mensus est malam illam, sed plenam è cæ-  
 lo recipiat. Pontificis verò mentem in fœdere san-  
 ciendo synceram, fuciq; expertem, cum factum il-  
 lud ostendit, quod superiori æstate Franciscum Aldo-  
 brandinum Nepotem suum, virum multi vsus, sum-  
 mi iudicij, ac pacis belliq; artibus aquipollentem, ad  
 socia-*

Prou. 21.  
 Matth. 7.



*fociale bellum contra Turcas pignori Christiano orbi  
 pro se misit: tunc Illustrissimus & Reuerendissimus  
 sancti Seueri Episcopus (cuius non solum nomen illu-  
 strat series Marchionum altissime repetita, sed Pru-  
 dentiam etiam & Eloquentiam nobilitarunt, tot lo-  
 gationes, quot penè Christiani orbis partes) tam fuse  
 distincteq; vobis sapius explicauit, ut frustra hic vi-  
 dear aliquid adnexurus, nisi Pontifex has mihi par-  
 tes imposuisset, ut ad sacrum hoc bellum vobis promit-  
 terem ab eius non solum amore consilium, sed ab ara-  
 rio etiam tenuiculo quidem illo penè attrito, id quic- 1. Mach. 9.  
 quid potest equè postulari. Accingimini ergo (Ma-  
 chabai verbis, tot Machabæos, quot adestis Equites  
 rectè videor affari) accingimini ad prælium domini,  
 & socia contra gentes arma capite. Estis pauci? faci-  
 le est Deo multos concludere in manu paucorum: E-  
 stis imbecilles? quo tandem modo? Pugnabitis contra  
 pecudem Asianam, Deo rebellem & contumacem: ac  
 de cælo erit fortitudo vestra. Quanquàm Poloni non  
 timetis mortem, & satius certè est mori in bello (ut in-  
 quit ille miles Martyr) quàm mala vestra gentis vi-  
 dere. Timeris potius insidias? Casar stat à vobis, Pon-  
 tifex à vobis, DEVS à vobis. Sed tuolue mihi men-  
 tem hic planè tuam, excute intelligentiam: fœdusne  
 D putas*

putas recipiendum quod Turca; contemnendum quod  
offert Christianus? Regnum, inquit, nostrum, liberta-  
tem nostram. O insaniam, O insaniam. Regnum tu-  
um potes credere firmitus, libertatem securiorem sub  
Turcico capite, quàm sub Christiano fœdere? sit qui-  
dem illud firmitus, hac securior sub illo, quàm sub isto:  
Audes tamen profiteri malle te Regnum sine Cœlo, quàm  
Cœlum sine Regno? malle te libertatem sine Christo,  
quàm Christum sine libertate? Est quoddam, Equites,  
hominum genus, seipsos intemperantè amantium, &  
voluptati cupiditatiq; magis, quàm Deo seruentium,  
qui speciem pietatis præferunt, vim tamen pietatis &  
virtutum infringunt & elidunt vniuersa. Apostolus  
hic depingit, ut videar videre illos, quos nostra hodiè  
atque nouo non tam verbo, quàm sensu appellat politica.  
Spectosè quidem semper hi loquuntur, Euangelium,  
Gratiam, Christum, tamen quasi Dei providentia pe-  
nitus sublata, Politicam quandam prudentiam (sic  
placet istis Turcismum, vel potius Atheismum suum  
antiquo nominis velo ostendere) sui suarumq; actionum  
omnium regulam & amussim faciunt. Hanc siue ar-  
tem siue calliditatem mirarer Diuum Iacobum digna-  
tum fuisse nomine prudentia, nisi prudentiam istam  
mox ad maiorem insaniam dixisset esse, & terrenam,  
quod

2. ad Cor.  
cap. 3.

Ad Tit.  
cap. 1.

Iacob. 4.



quòd Deum fateatur orè, factis neget; & animale, quòd sibi sapiat, non publica rei; ac tandem diabolicà, quòd omnia metiatur sensu, ac nullam omninò in Deo diuinisq; spem figat & collocet: Verum semper sit, ut suo hi se implicent laqueo, & in fundo diuina providentia, quem prudentia cuiusdam arte conantur declinare, omninò pereant. At tutius, dicet aliquis, est sequi neutram partem. Quid? Polonus sequetur potius quod tutum, quàm gloriosum? quanquàm in Politicis sit ille hebes & planè plumbeus qui cupiat esse neuter; cum & Caesar, qui Ducum primus & penè solus, a què lingua valebat, & manu hanc vocem damnarit stultitia, & usus probàrit, qui neutri fuerunt, & inter duas partes penduli; hos semper in utriusq; partis enses incurrisse & insidias. Tandem ut breui, sed sacro verbo dicam, qui neutram partem putat tutam partem, is certè stultus est, quem irridet atq; adeò punit sanctus Iob illo dicto: Timet pruinam, & irruet super eum Iob. cap. 6.  
 nix: Quod si, Equites Poloni, nec Turcica fraus, nec vicinorum lachryma, nec vestrum periculum, nec DEI timor & honor, nec alia ulla ratio potest vos impellere ut coniunctis armis Europa labanti succuratis: erit certè, penè dixeram: verum amor non sin-  
 nit ut genti vestra malè ominer; potius pietas erga Po-  
 D 2                      lonos

lonos meafaciet, ut vos qui non politicè, sed cum patri-  
bus vestris Christianis sapitis, orare & obtestari ve-  
lim, nè ulla vestra culpa sinatis verti Christi templa  
in stabula, altaria in praesepia, monasteria in Geni-  
zea & fœda libidinis propudia, omnia sacra in profa-  
na omnia, & tandem Christum ipsum prodi Maho-  
meti. Hic lenti si sitis & pigri (alia taceo) illud tan-  
dèmerit, & fortasse hodie crit, aut certe non ita longo  
post interuallo erit, ut requiratur sanguis fratrum ve-  
strorum à manibus vestris, eò quod angustias animarum  
eorum videntes non compassi estis: eripere potuistis &  
contempsistis: & Turce pro Tribunali illo extremo &  
horrifico consurgent: ut vos faciant reos impietatis  
quod ipsi pro impia sua superstitione amplificanda, tam-  
ferio fecerunt, id vos pro fide qua ex medio cœlo flu-  
xit, non dico amplificanda, sed defendenda, vin-  
dicandaq; contra Inimicos Crucis  
Christi, nec sponte, nec ro-  
gati fecistis.

D I X I.





#  
Omma Canolide,  
Fide, Vide,

Quid moramini?  
Cellellee



